



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhsii, 1687

De benedictionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36005

De benedictionibus.**Oremus.**

Deus qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq; dispensas : concede propitius, ut à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistatur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde sine exhortatione, petantur preces pro defunctis ex cognitione pueri, & pro alijs defunctis, postremò pro eo qui primò ex astantibus moriturus est, ut in gratia discedat. & sic sepulchra finiatur.

Notandum tamen, ut pueri post prandium sepeliantur.

De Benedictionibus.

Non Sacerdotes in benedictionibus usurpandis errant, easq; quæ Episcopis convenient, frivole narripient, placuit solas eas hic ponere, quæ ex usu Ecclesiæ Sacerdotibus conceduntur.

Stando semper & aperto capite Sacerdos benedicat, utaturq; extra missam semper stola pro varietate temporis, & superpelliceo.

Esculenta, & similia super altare non ponat, sed super mensam ad id paratam. In principio cuiusvis benedictionis dicat.

Adjutorium nostrum in nomine domini, qui fecit cœlum & terram.

In fine benedictionis rem benedictam aspergit aqua benedicta, & ubi notatum fuerit, pariter incensat.

Ordo faciendi Aquam benedictam.

Diebus dominicis vel alias ubi opus fuerit paretur Sal, & aqua munda. Sacerdos superpelliceo & stola violacea induitus dicit.

Adjutorium nostrum in nomine domini.

Qui fecit cœlum & terram.

Exorcismus Salis.

Exorcizo te creatura Salis, per Deum ✕ vivum, per Deum ✕ verum, per Deum ✕ Sanctum, per Deum qui te per Elisæum Prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ : ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium : & sis omnibus sumentibus te, sanitas animæ & corporis : & effugiat atq; discedat, à loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia, & nequitia, vel versutia diabolicae fraudis, omnisq; Spiritus immundus, adjuratus per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.

R. Amen.

Oremus.

Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, bene ✕ dicere & sancti ✕ ficare tua pietate digneris, ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis, & quicquid ex eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia, omniq; impugnatione spiritualis nequitia. Per Christum Dominum nostrum. **R. Amen.**

Exorcismus aquæ.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei ✕ Patris omnipotentis, & in nomine Jesu ✕ Christi filii ejus Domini nostri, & in virtute Spiritus sancti, ut sis aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & ipsum inimicum eradicare, & explantare valeas, cum Angelis suis apostaticis: per virtutem.